

Petrus Laurentius, Gulielmus Silvaticus, Drochus Palius, Albertus de Canelio, Sibillator de Lanerio, Bonifacius de Arguello, Bonifacius de Turino, & multi alii ibi ad credentiam convocati. Eodem die in praesentia eorundem testium in publica concione facta urbe Aste, in mercato de Domate D. Enricus Zazius potestas Astensis nomine communi de Aste, & D. Otto, & D. Ugo ejus filius eorum nomine juraverunt super S. Dei Evangelia omnia praedicta attendere, & observare, & firma tenere bona fide, Ego Jacobus Boniculus Notarius Palatii omnibus supradictis interfui, & ex praecepto D. Enrici Zazii potestatis Astensis, & D. Ottonis, & D. Ugonis ejus filii duo instrumenta, videlicet unum de fidelitate, & investiture feudi, & alterum de pactionibus pro D. Ottone, & istud instrumentum pro communi, in quo tenor aliorum duorum instrumentorum cum aliis, quae supra leguntur, continetur composui, & scripsi, ut est in libro veteri in folio quadragesimo primo. Eodem anno, 20 & eadem indictione die Dominico duodecimo intrantis julii, D. Otto de Caretto posuit D. Enricum Zazium potestatem Astensem nomine communis de Aste in possessionem castelli, & loci de Casto, & abrenuntiavit fidelitatibus hominum illius loci, & de Bosea eas ipsi Enrico nomine communis de Aste fieri jussit, & est in folio quadragesimo secundo. Item eodem anno die lunae decimo tertio intrantis julii, D. Otto de Carretto posuit eundem Enricum Zazium nomine communis de Aste in possessionem 30 castri Curtismiliae nomine istius castri, & totius aliae terrae, quae vendiderat communi de Aste, & abrenuntiavit fidelitatibus hominum, quod de illo loco ibi erant eorum nomine, & nomine aliorum hominum praedictae terrae, & eas potestati, & communi de Aste fieri praecepit. Actum in Castro Curtismiliae praesentibus Guidone Zazio, Rodolpho Durnatio, Raymondo Berardengo, Jacobo Lagolio, & Henriacio de Teglolis. Item eodem die posuit eundem Enricum nomine communis de Aste 40 in possessionem castri Turris Burmiae, & est in libro veteri folio quadragesimo secundo.

*Jus Eccl. S. Mauricii de Tertio in decimas oppidi.*

Anno Nativitatis Christi MCCIX., indictione XII. in civitate Aquis die Mercurii IX decembris, Castelleto coram D. Ugone Aquensi Episcopo auctoritatem suam praesente confirmante, & partes suas ad concordiam largiente. Placuit D. Anselmo praeposito Aquensi, Lanfredo Jordano, Agradio, & aliis canonicis ab una parte, & Joanne ministro tunc temporis Ecclesiae S. Mauricii de Tercio, ex altera de omnibus discordiis, & litibus inter eos ortis, & de cetero oriri possent pro decima de Tercio stare dicto presbyteri Ogeri pro eo, quod dictus presbyter Ogerius antiquitatem, & essentiam hujus facti noverit, & id quod inde dixerit promiserunt perpetuo firmum servare. Dixit in primis 60 Ecclesiam S. Mauricii habere praecipuam decimam mansi, sive mansi majoris, quod fuit Rainerii Uverzii, & dimidiam alterius, & quartam alterius me-

dietatis, & decimam mansi Oberti Corfi, & illius Rufini Decanis, & dixit hoc obtinere de quacunque masa devenire, ut de insula Truchengorum, de una petia terrae quondam Batelli, quem tenent filii Rufini subtus levatam de campo Strimiti, quem tenent filii Belloni: idem item dixit memoratam Ecclesiam habere perpetuam decimam Pastarini de domibus subtus viam, cum itur in castellum usque ad portam castelli, & in omnibus aliis decimis 10 habere quartam tantummodo. Unde Dominus Episcopus, presbyter Ogerius, praepositus, canonici, presbiter Joannes duas cartas ejusdem tenoris fieri jusserunt praesentia test. rogat. Joanne Cappellano Episcopi, Petro Sardo, Henrico Giudice, & Ogerio Clerico de Tercio, Mattheus Notarius sacri Palatii.

*Donatio D. Pontii marchionis Ponzone totius suae terrae civitati Aquensi.*

Anno Domini MCCX., indictione XIII., die Jovis XV. aprilis. In Ponzone praesentibus testibus Othone Wala, Jacobo Aycardi, Petro D. Andreae, Girardo de la Montaa, Zucharino, & Willemo Carcagno, D. Pontius, Marchio Ponzone donum, & donationem facit D. Andreae, & D. Aycardo Ambaxiatoribus communis Aquis vice, & nomine ipsius communis de Ponzone, & totius suae terrae, dedit eis claves turris domegnoni, castri Ponzone nomine possessionis castri Ponzone, & totius suae terrae, & domangonum, & donationem; & possessionem dictam faciebat, & tradebat sicut dictus Pontius dicebat pro se, & pro suo nepote D. Henrico, & pro suo consanguineo D. Petro, & voluntate eorum. Et per Ponzonum dedit eis possessionem totius suae terrae. Et D. Aycardus posuit vexillum communis Aquis nomine ipsius communis in turre Ponzone cum Petro D. Andreae. Unde ipsi Ambaxiatores rogaverunt cartam fieri. Ego Jacobus Notarius interfui, & jussu illorum Ambaxiatorum hanc cartam tradidi, & subscripsi (1).

Ego Ubertus Notarius Palatinus videns, & legens autenticum hujus exempli factum a Jacobo Notario qui dicitur Lavagius sicut in ipso inveni &c.

Ego Henricus Notarius Palatinus &c. Ego Petrus Notarius S. Palatii &c.

(1) Hanc descripsit Malacarne lib. cit. p. 250., sed mancā, ac multis locis, iisque Aquensibus honorificis mutilam de more exhibuit.

*Diploma Ottonis IV. monasterio de Tilieto ex chartulario ejusdem monasterii.*

In nomine sanctae, & individuae Trinitatis. Otto IV. divina favente &c. Reliqua prorsus similia iis, quae in diplomate superius descripto Henrici IV. eidem monasterio concessio usque ad haec verba intra fines Italiae, excepto quod hic Otto IV. se ad preces Uberti prioris Tilieti monasterii inductum profitetur ad hanc concessionem faciendam. Post ea verba intra